

23.4.62

Hermeneutica est ars intelligendi textum, documentum.

1. Erklären, Verstehen.

a Primo modo accipitur haec distinctio quatenus

objectum scientiae naturalis non constituitur per actus humanos intentionales (intelligendi, concipiendi, significandi)

objectum scientiae humanae (Geisteswissenschaften) vel partim vel totaliter constituitur per actus humanos intentionales.

e.g., tribunal, processus, condemnatio, executio, si sola phaenomena considerantur et a sensu, elemento intentionali humano praescinditur, non sunt nisi sonus et furia

sicut in scientiis naturalibus ita in humanis fieri possunt investigationes secundum methodum empiricam; sed in his praesupponi debet ut intellecta ipsa constitutio intentionalis.

b Altero modo accipitur eadem distinctio quatenus

actus humani et intentionales et objectorum constitutivi sunt actus intelligentiae non scientificae sed vulgaris (sensus communis)

¶ intelligentia scientifica et vulgaris duobus differunt:

primo, ex parte objecti, uti Socrates et Athenienses: intelligentia scientifica ad systema cogitur, ad terminos universaliter definitos, ad divisionem terminorum in primos et derivatos, in ad divisionem propositionum in primas et derivatas, in acceptionem omnium quae systemate praesupponuntur vel implicantur; e contra, intelligentia vulgaris non cogitur versus systema; ea intelligere studet unde prompte, faciliter, delectabiliter videat quid dicendum, quid faciendum, in qualibet e situationibus ordinariis; et plura intelligere superfluum, inutile, periculosum iudicat.

Deinde, ex parte subiecti, Thales et puella: intellectus scientificus non est tantummodo pars alicuius totius operantis, sed ipse est finis, dominans, ut caeterae hominis partes vel intra parentheses contineantur vel prorsus fini intellectuali subordinantur; intellectus autem vulgaris non est nisi pars totius, non quaerit nisi fines totius, non caetera sibi subordinat, sed ipse toti viventi subordinatur

c Prout primo modo accipitur, distinctio omnino valet. Sed prout altero modo sumitur, reservationes addendae sunt.

a' Nisi aliter constat (e.g., in tractatu scientifico), intelligentia vulgaris est fons tou esse intentionalis et constitutivi communiter, substantialiter, primo, per se.

b' Attamen adesse potest qui dicitur "motus in ideam," (die Wendung zur Idee), ubi motus intelligitur proprie dictus ut "actus existentis in potentia prout huiusmodi," oculus in fetu.

Eg. circa proelium distingue (1) theoria pura bellica (2) huius theoriae intelligentia imperfecta et applicatio imperfecta ab utroque duce ante proelium (3) ipsum proelium prout fit secundum imperfectam (valde imperfectam in victo) realizationem ideae imperfectae. Notate theoriam puram bellicam esse ortam non ante omnia proelia sed post permulta, eamque etiam ex subsequentiis perfici.

Eg. de Christo domino in NT (1) loquuntur facta quasi theophania quaedam, (2) loquuntur tituli, (3) adduntur conceptiones. CF de VI.

23.4.62

c' Qui motus, quae tendentia in ideam, ex parte obiecti intelligendi observatur, multo magis ex parte subiecti interpretantis invenitur.

Quamobrem ob causam, philosophia hermeneutica restringi non debet ad Lebens philosophiae

Interpres enim magis assimilatur Thali quam puellae: quaerit veritatem obiectivam; non continetur finibus ~~prae~~ propriae vitae; quod a Bultmann minus perspicui videtur.

Quamvis singuli textus secundum intelligibilitatem intelligentiae vulgaris sint intelligendi, tamen sat conspicuus est motus in ideam quatenus series vel totalitas textuum considerantur.

Technice enim distinguuntur sensus literalis et figurativus, genera litteraria, evolutio linguarum, litteraturarum, idearum, etc.

d' Hic motus in ideam ex parte interpretum non unicus quidam solusque ~~est~~ invenitur